



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 27. Vana Gallorum molimina adversus Ischiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Friderico Ferdinandi Patruo publicas se-
 curitatis literas dedit, quibus munitus Sæcul. XV.
A.C. 1495.
 Gallum adiret, atque ab eo concordiae
 leges, quas Nepoti suo Rex offerre vel-
 let, perciperet. Fridericus, quæ Gallia-
 rum Rex moliebatur, probe gnarus, sup-
 plex rogabat, ne hanc causam tractandi
 onere gravaretur, eoquod, inquiebat Fri-
 dericus, sibi omnino exploratum esset, Fer-
 dinandum nullo unquam tempore regni
 sui juribus cessurum, nisi saltem exigua
 illius Provincia, qualis Calabria esset,
 beneficiario nomine possidenda ei relin-
 queretur, ac Regis clientem se profite-
 ri ipsi liceret; Verumtamen huic condi-
 tioni Senatus suffragari renuit, cui nimis
 periculosum videbatur, si quam regni re-
 cens occupati partem Carolus æmulo
 suo, qui olim illius Rex dicebatur, con-
 cederet: Neapolitani quoque comperta
 Ferdinandi submissione, & Caroli incle-
 mentia, illius ignaviam incusare, hujus
 vero acerbitatem abhorreere cæperunt.

§. XXVII.

*Vana Gallorum molimina adversus
 Ischiam.*

Galli abjecta pacis spe, unice omnes
 eo curas intendebant, ut quatuor il-
 las urbes, quæ adhucdum Ferdinandopa-
 rebant, in potestatem suam redigerent;

Sæcul. XV.
A.C. 1495. unde Gallica classis admovetur, Ilichiam expugnatura. Imperabat huic classi, Servonius, vicesque agebat Aureliæ Ducis, qui, ut Ludovici consilia exploraret, Astæ hærebat; verum ille expectatione longe minus fortitudinis suæ specimen dederat; econtra vero Marchionis Piscariæ Frater, cui Ferdinandus hujus Insulæ imperium detulerat, arcem omnibus ad strenue repellendos hostium impetus necessariis, summa solertia munitabat, simulque tam provide quaquaversum omnes agros devastari jubebat, ut cujuscunque rei usu Gallis interdicto, hi primo suo adventu non nisi collapsarum ædium ruinas, atque funestas incendii reliquias offenderent: unde annonæ penuria laborantes, re infecta Neapolin reverti cogebantur. Nec benignior ibi fortuna Carolum excipiebat; cum enim ipsemet annona, bellique instrumentis destitutus navium Præfectis, qui Genuæ agebant, negotium daret, ut cum suis triremibus atque navigiis quantocius com meatum adveherent, ab iis non sine magno animi sui dolore percipere debuit, quod naves ejus ab hostibus captæ fuissent. Prima hæc adversantis fortunæ fata extremam Gallici exercitus ruinam in Italia præfagire videbantur. His accessit ad malorum cumulum Pontificis, ac Ludovici foedus, cui

cui sese omnes ferme Italiae Principes prompto animo addicebant, quamvis omnium ultimi sese associaissent Reges Catholicus, & Maximilianus Imperator; cum enim in hoc bello de eorum rebus non ageretur, plus industriae adhibendum erat, ut his foederis adversus Gallos ineundi necessitas persuaderetur.

Sæcul. XV.
A.C. 1495.

§. XXVIII.

Galliarum Rex Neapolim secundo ingressus.

Ceterum Carolus comperta tot Principum foederatorum conspiratione, simul etiam nuncium accepit, quod Venetiis clandestina adversus eum agerentur consilia, atque ipsi quoque Principum Oratores jamjam publice, frequenterque mutuis colloquiis se invicem venerarentur; hinc Gallias repetere, firmum fixumque habuit, aliunde haud ignarus, quod Neapolitani poenitentia ducti Arragonense imperium rursus exoptarent, cum illud haud adeo durum fore, quam Gallorum jugum censerent. Nihilominus Rex, antequam ex Italia discederet, secundo Neapolim intrandi consilium cepit, caussatus, primo ingressui aliquid gloriae, atque triumphifuisse, eoquod tunc necdum arces Ferdinando eripuisset: Ergo denuo solemnisc

Guicc. l.cit.

